



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Patris Gasparis Druzbecki

Pawlowski, Daniel

Ingolstadii, 1732

VD18 90066324

Caput III. Revelatio quædam, & donum Dei speciale, confirmationis in Gratia, P. Gaspari divinitus concessum, decimô quartô ejus in Religione annó.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45343

*Studia non
obstant vir-
tuti & reli-
giositati.*

Colligi enim ex iis potest imprimis; Studia in Religionem nostram, nullo esse spiritui obstaculo, beneque coherere posse cum studio virtutum. Deinde, divinas miserationes, non esse uni duntaxat ætati, aut tempori alligatas, sed semper præsto esse, dummodo præsto sint capacia earum subiecta. Colligi & illud potest; magnis DEI servis id proprium esse, semper in via virtutis proficere, ac progredi, & lucis instar crescere usque ad perfectam diem. Sed ad alia jam DEI dona progrediendum est.

C A P U T III.

Revelatio quedam, & donum DEI speciale, Confirmationis in Gratia, Patri Gaspari divinitus concessum, decimo quarto ejus in Religione, Anno.

EX revelationibus & donis specialibus, Patri Gaspari cœlitus communicatis, primas tenet, Revelatio de dono Confirmationis ejus in Gratia; quam verbis illius ipsius, ex libello Illustrationum ejus, genuinè excerpto, estque talis.

*Impulsus ad
petendam
Confirmationem.*

Anno. 1623. 18. Januarii, oravi non tam mea sponte, quàm nescio quo impulsu, pro obtinenda à DEO confirmatione in Gratia. Orationis autem hic fuit ordo, & modus. Imprimis jussus sum expendere, quid, & quantum sit, confirmari in Gratia? quos effectus habeat? &c. Secundo, sic oravi, dicendo in Corona Vulnerum Christi Domini has preces. *Per omnem cordis Tui bonitatem Domine DEUS meus, confirma me in gratia Tua. Per vulnera Tua dulcissime IESU, confirma me in gratia Tua.* Tum ad B. Virginem dixi

tres

tres Coronas. 1. Pretiosissima Parens mea, impetra mihi Confirmationem in Gratia DEI. 2. Pretiosissima Heres mea, impetra hereditati Tue Confirmationem in Gratia DEI. 3. Pretiosissima Hereditas mea, da fructum Confirmationis in Gratia DEI, heredi Tuo. Dum hanc ultimam Coronam finirem, absorberi à me, & in lacrymas resolvi aliquantulum cœpi. Deinde mihi spes suborta magna, de exauditione precis meæ. Tandem in spiritu sensifiresponsum mihi dari, quasi à Pr. Parente. *Spes de exauditione petitionis.* *Da-*
bo Tibi fructum hunc, dabo, sed expectare debes diem Purificationis meæ. Quæ verba, magnâ me consolatione, & fiducia, atque gaudio impleverunt. Post hæc declarata sunt signa hominis confirmandi in Gratia, sive dispositiones, quas DEUS *Dispositiones ad Confirmationem.* præmittit in tali anima, quas in me aliquomodo inesse, tunc etiam adverti. Insuper sensi in me promissionis illius alios præterea effectus: nam sensi me firmari in DEI servitio, in anima reddi humiliorem, excitari in animo ad diligentio-rem Divinæ dignitatis in me exaltationem. Nullam quoque omnino sensi diminutionem sollicitudinis de salute, & perfectione mea, sed potius augmentum notavi. Hæc sunt dona, & misericordiæ DEI, quas in æternum cantabo, hi pretiosissimæ hereditatis meæ reditus, pro quibus illam beatam dicant omnes generationes mecum in æternum.

Die Conversionis S. PAULI, hoc est 25. Januarii, feci pro ea re Sacrum, sumque speciali, & insolito modo, in spe, illud donum impetrandi, à DEO confirmatus. Die autem S. Chrysostomi, 27. Januarii, cum orarem post Sacrum, claro quodam instinctu, Dominus DEUS idem do-

*Promissio
Confirmatio-
nis.*

num mihi promisit, insuperque adjecit, à se propter me liberari animam cujusdam, qui mecum Craeviam venerat, à pœnis purgatorii, & videbatur mihi, quòd illo ipso tempore liberaretur, me poscente eam liberari, non propter me, qui canis mortuus sum, sed propter omnem Cordis Divini bonitatem, propter omnes Viscerum ejus misericordias, propter passionem, & merita ejus, propter B. V. & Sanctorum, ac inprimis S. Joannis Chrysofomi, intercessionem.

*Ex Sanctissi-
mo Sacra-
mento vox
interius au-
dita.*

Die Festo Purificationis Pretiosissimæ Parentis MARIÆ Virginis, in Sacro, distinctam, ex Sanctissimo Sacramento, vocem interius audivi bis repetitam; *Confirmo te in gratia mea*, quæ voces erant simul cum reflexione, me certificante, quod essent veræ DEI voces. Cum autem ego signum vellem à Domino aliquod, ejus doni mihi ab illo dati, videbatur mihi, quod Dominus fileret, à me autem signum (quod mihi dari vellem) sibi proponi vellet; mihi autem, cum attentissimè illud quærerem, nullum in mentem venit. Quare permisi me Domino totum, ut ipse, si vellet, daret, & quando, & quale vellet mihi hujus rei signum. Quod quidem fecit mihi Dominus, & dedit sequenti die, 3. Febr.: nam cum ego accederem ad Sacrum, & proponerem facere Votivam de B. V. adjectis orationibus gratiarum actoriis, in gratiarum actionem pro prædicto dono, statim ab ipso initio intus, dictum est mihi; *Hodie in hoc Sacramento dabo Tibi signum Confirmationis in gratia.*

*Reflexus actus
de dato dono
Confirmatio-
nis, & certi-
ficatio.*

statim me occupavit magna devotio, itemque de hoc dono obtento certitudo, neque unquam potui cogitare de illo postulando, sed tantum de gratiis pro illo agendis. Itaque in eodem Sacramento

pro

propofui, totum Menfem Februarium dare Domino in gratiarum actionē, ita ut quantumcunque alias intentiones habiturus effem, hoc Menfe, in meis operibus, tamen illas ipfas offerrem DEO in gratiarum actionem. Itaque fignum Confirmationis iftius, fuit mihi data devotio, & certitudo, conjuncta folatio cuidam illuminato, & confirmante me in DEI obfequio, quæ omnia durârunt toto reliquo die. Post Sacrum verò cum orarem, datum eſt quoque mihi aliud fignum ejusdem doni, ſcilicet dolor de peccatis, ut quidem mihi videtur, verus, quem illicò tunc ſenſi, brevem quidem, & non adeò intenſum, illuminatum tamen & appretiativum; poſt quem, remanſit in me quædam deteſtatio, & averſio mentis à peccato, quam ego antehac in me non ſentiebam, dolebamque quandoque me non plene fuiſſe animo averſo à peccatis. Eadem die poſt prandium, cum vellem aliqua ſpiritualia ſcribere, non potui ſcribere quidquam: internis enim inſtinctibus impellebar, ut exirem ad orandum, quod cum feciſſem, multum in ea oratione fui, tum in prædictis punctis, tum de prædicti doni obtentione, confirmatus. Eadem die, in oratione pomeridiana, quam inſtitueram ad gratias agendas pro hoc beneficio, feci reſolutiones, & ſenſi affectus tales. 1. Domine volo Tibi pro hoc dono ſervire in æternum ferventer. 2. Eſi hoc donum non haberem, immo eſi nec ſalvandus eſſem, vellem nihilominus, & volo Tibi in æternum ſervire ferventiſſimè. Quamvis ſciam me confirmatum in gratia Tua, volo tamen in æternum quotidie Tibi ferventiùs ſervire, & nullatenus hoc nomine, in Tuo ſervitio tepereſcere. Sequenti die ante Sacrum

*Signum data
Confirmationis.*

B 3

juffus

*Signum pecu-
liare data
Confirmatio-
nis in Gratia.*

jussus sum, & præmonitus, statim Sacro finito in
separatum locum ire, quod feci, & dedit mihi
Dominus pignus, & signum primum prædictum,
prædictæ item gratiæ, scilicet dolorem de pecca-
tis meis omnibus talem, qualem habuisse me
scio, sed explicare verbis non possum. Hoc scio,
talem fuisse, qualem nec diabolus, nec meus na-
turalis, sive humanus spiritus excitare possunt,
sed fuisse solius DEI opus: non tantum quia fuit
dolor de peccatis, sed quia fuit purus, sincerus,
& verus, rationalis magis, quàm dulcis, para-
tum me faciens in infernum ruere, modo salva,
& integra esset, DEI Bonitas, Dignitas, Majestas,
amorositas. Accedit quod in eo affectu appre-
hensivi doloris, dicebatur mihi distincte non se-
mel; vide jam, an iste dolor, & hi affectus sint tui,
sint tuarum virium, sint naturales? Et manifeste
videbam non esse naturales, nec meos sed DEI.
Item dicebatur mihi; cessa ab istis affectibus, si
potes, si tui sunt, cessa ab eis, & reflectebam me,
& cessare volebam, & non potui, immò majores
habebam, & tum demum habere desinebam,
quando jam corpus, & pectus, ferre amplius
non poterant; quæ desitio, non ex mea, sed ex
dantis pendebat, & procedebat, (ut reflexivè ad-
verti tunc) arbitrio, atque voluntate. Præter
hunc affectum detestationis peccatorum, habui
eodem tempore, etiam magnos, & sublimes, de
quibus hoc tantum dicere possum, quòd non
fuerint mei, & non fuerint naturales, sed super-
naturales, iiq̄ue extraordinarij, qui mihi occupâ-
runt, & excefferunt rationem, ita ut non ratione,
sed affectibus regerer ipsis: tamen illi non erant
suaves, ac delicati, sive teneri, sed rationales, &

*Actus subli-
mes ex dono
Dei.*

ap-

appretiati DEI, humiliati mei, & resignati in omne arbitrium divinum. Totum hoc negotium istorum affectuum omnium hujus diei, duravit tanto tempore, donec Sacerdos, qui mihi in Sacro successit, perfecit in suo Sacro elevationem Calicis: hoc est ferè quadrantem unum, amplius videbar mihi affectus illos non supportaturus, salvâ valetudine. Collatum à DEO Beneficium hoc ita appretiabat P. Gaspar, ut ingratitude suam defleret in dies, quòd DEO suo ita erga se benefico, non prout par erat, responderet. Specialiter autem faciebat memoriam beneficij hujus, singulis annis, die Purificationis B. M. V. quo tempore effundebat se in omnes gratitudinis affectus, prout, inter secreta ejus scripta reperi sub hoc titulo *Ratio recolendi Beneficium Februarij*. Verba ejus sunt; Specialiter hoc Purificationis B. V. die, atque etiam alijs sequentibus. 1. Impendam me recogitationi beneficij jam memorati. 2. Ejus desiderio accendar. 3. Spe pascar. 4. Præsentia exultabo. 5. Agam gratias immensas, vel pro ipsa ejus spe, multò magis (per gratiam DEI) pro re. 6. Effundam me in omnes affectus gratitudinis, hac vel simili ratione.

*Memoria
annua Con-
firmationis.*

Respexisti Domine super canem mortuum, super atomum communicabilitatis Tuæ. Ecquis ego, ut priusquam me formâsses in utero, nosses me, & antequàm ex illo progrederer, recordareris in Tua æternitate nominis mei, formans me ex utero servum Tibi æternum. Videant Sancti Tui hanc ineffabilem dignationem Tuam. Consurgant, & adorent Te Dominum DEUM meum, qui elegisti me & assumpsisti, ut inhabitem in domo Tua, omnibus diebus vitæ meæ.

*Gratiarum
actio Deo pro
dono Confir-
mationis in
Gratia.*

Laudent Te, quia complacuisti Tibi, in vilissimarum Creaturarum supervilissima Creatura. Magnificent Te, quia gratus factus est in oculis Tuis, ex dono Bonitatis Tue, ille, qui dignus erat eterno odio iræ Tue. Superexaltent Te, quia è massa æternæ perditionis, ac reprobationis, secrevisti eum, qui potius merito suo, eidem cum reliquis Præscitis involvendus erat.

Prædestinati-
onis benefi-
ciorum.

Ecquis ego Domine? ut Tu, ab æterno, ad salutem, & beatitudinem æternam, prædestinares, ac eligeres me. Ecquis ego? ut præterea ad Sanctitatem Gratiæ, amicitiaque Tue admissum, in ejusdem firmissima, ac finali possessione, confirmares, & stabilires me. Ecquis denique ego? ut hæc ipsa tanta, & omni merito meo majora, sciam divinæ providentiæ Tue secreta, & de me sancita decreta, ut occulta misericordiæ tuæ, & abscondita à constitutione mundi judicia tua, in cor meum eructares! Quid aliud in me invenio, nisi omnimoda impedimenta, & obstacula æternæ salvationis, Tue in æternum fruitionis, Tui suavissimi complexus? Et tamen vicisti hæc omnia, ineffabili bonitate Tua, præveniendo me in benedictionibus dulcedinis Tue.

Et quomodo Te non exaltabo DEUM meum dignissimum salutis meæ? quomodo non benedicet Tibi anima mea? quomodo non tota se eviscerabit, exinanietque in dilectionem Bonitatis, Majestatis, Charitatisque Tue. Benedictus sis Domine DEUS meus, & benedictum sit beneplacitum Tuum. Benedicant Te omnes recessus animæ meæ. Benedicat Te tota capacitas mea interna, & externa. Benedicat Te omnitudo mea in omnem æternitatem, & ultra. Benedico Te Patrem, Filium, Spiritum S., Sanctam, & Individuam Trinitatem, unum DEUM. Te verò Incarnatum VERBUM quomodo compellabo? verbo de-

Gratiarum
actio VER-
BO Incar-
nato.

deficiunt non solum ore & voce, sed etiam corde & mente formidanda factus sum extra me ipsum tantum beneficij Tui super me dignatione absorptus. Tunc mi IESU super huiusmodi peccatore dignum duxisti aperire oculos Tuos? Tibi ne mi Salvator ab aeterno cordi ego fui, ut non venirem in oblivionem coram Te? ego nequam servus Tuus, qui prodigere parabam & solebam, omnem substantiam mihi abs te divino humana vitam Tuam comparatam? Tancinè estimasti me vilissimum mancipium, immemor scelerum, ingrati- tudinum, vilitatum mearum? Quis Te (parce mi IESU verbo) quis Te inquam infascinauit? dum amore animam meam raptus, & captus, condonare mihi misericorditer omnia mala mea, meque ab ultimo fine, Te scilicet DEO meo, excidere non permittendum existimasti, atque decrevisti? Quid Tibi faciat anima mea, tanto dignitatis Tuæ obstupescita excessu, mi IESU totus ego, tota anima mea, totum corpus meum, coram Te est, te suspicit, Te veneratur, Tibi se prosternit, Tibi gratias agit, quantas Tu vis, & das, quoniam completae sunt in me misericordiae Tuæ antiquae, quae à seculo fuerunt apud Te. Benedictus sis Domine IESU, in hac effusione bonitatis Tuæ, super me miserabilem creaturam Tuam. Benedictus sis Domine IESU, in illo primo intuitu, & respectu ad peccatricem animam meam, & cum in tota illa collectione animarum, nullam indigniorem haberes, quam respiceres, in eam tamen indignissimam respexisti. Benedictus sis in hoc triumpho bonitatis Tuæ de Te ipso, in quo tam magnificè, & gloriosè, triumphavit de Te bonitas, & misericordia Tua. Hos ego triumphos Tuos de Te, à Te, in Prædestinatione, & Confirmatione mei relatos, in aeternum, in aeternum cantabo, & glorificabo, & super-

Effusio sui totius erga Deum.

perexaltabo, cum electis Tuis, quia pius, quia misericors, quia bonus, & bonitas es.

Gratiarum
actio B. Vir-
gini, pro do-
no Confirma-
tionis

Ad Te me converto, ô MARIA Beatissima, atque Pretiosissima Mater, converto me totis precoriorum meorum affectibus, totâ cordis mei latitudine, toto virium mearum, totiusq; capacitatis meae conatu, atque oculos flebiles in Te defigens, lachrymabili voce Te compello, sensu, & affectu, quo possum, Te invoco Matrem misericordiae. Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei in die humiliationis suae, coram filiabus hominum, inter quas uti una ex illis comparuit, ageret causam exaltationis servuli sui? Unde hoc mihi ut Mater Domini mei in Festo Purificationis suae, impurissimum intuita peccatorem, eum ad divinorum secretorum, decretorumque notitiam admitti, suis sanctissimis precibus fecerit? Unde hoc mihi ut Mater Domini mei, in die superadmirabilis dignationis suae, & Filii sui, divinam quoque circa me dignationem, in eternitate factam, mihi obtineret, atque manifestaret? Agnosco ô Domina, Tuis id totum stetisse, in conspectu Sanctissimae Trinitatis, effusis precibus. Agnosco, Te id Tuis, apud dilectissimum Filium, urfisse interpellationibus, evicisse meritis, obtinuisse prerogativis. Sis benedicta in aeternum, à tota Sanctissima Trinitate, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, illa Te exaltet, illa glorificet per me juxta gustus sui mensuram. Superest hoc unicum, ut ad Tuos benedictos prostratus pedes, confirmationem Tuam super me misericordiae, totâ affectus mei evisceratione exposcam; ut videlicet nunquam obliviscar miserationes Tuas, sed ut semper memoriam abundantiae suavitatis earum, eructet anima mea, & holocausta laudis, immolet Domino DEO, & Tibi ejus Matri, amoribus, & amatoribus meis eternis: O Mater, impetra hoc mihi

Petitiones ad
B. V.

mibi suavissimis, atque gravissimis apud DEUM Filium orationibus Tuis. Impetra mihi præterea profundissimam, ex hoc DEI beneficio, humilitatem, & abiectiorem mei. Impetra assiduam pro illo, affectuosamque gratitudinem. Impetra mihi timorem sanctum, ne securitate, præsumptioneque deceptus, mihi que in hoc DEI dono male complacens, incidam in teporem, in incircumspectionem, in elationem, & infidelitatem. Has pestes amove à me, ó Virgo Dei-para, ut iis submotis, per omnia, & in omnibus placeam DEO meo, Filio Tuo, ambulans coram illo corde perfecto, atque verissimo. Hoc à Te, ó Pretiosissima Parens, spero, propter bonitatem Tuam, in qua exalteris à me, & Creaturis omnibus, in secula seculorum, Amen.

In ejusdem beneficii memoriam, conscripserat Pater Gaspar aliquot meditationes, de præstantia hujus beneficii, quas hic referre longum esset: conscripserat quoque orationes jaculatorias, idem beneficium concernentes, quas per dies Februarii, & aliis statis temporibus, corde inflammato ingeminabat.

1. DEUS meus misericordiam meam, ipse statuit supra petram pedes meos, ut non commovear in æternum.

2. Confirmata est misericordia Domini DEI super me in æternum.

3. Gratia DEI sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non erit.

4. Optimam partem dedit mihi Dominus, quæ non auferetur à me in æternum.

5. Benedictus Dominus DEUS meus, qui non amovebit à me misericordiam suam in æternum.

6. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ in-

Orationes
jaculatoriæ,
pro dono Con-
firmationis.

intra me sunt nomini sancto ejus : quoniam coronavit me misericordia, & miserationibus.

C A P U T I V.

Alia singularia dona, Patri Gaspari de manu DEI collata.

NON esse abbreviatam, etiam nostris temporibus, manum Domini, luculenter indicant dona DEI, Patri Gaspari collata, quæ itidem ex ejus libello, verbis ipsius fideliter refero, ita igitur scribit.

Liberatio anime è Purgatorio.

Flagellationes pro defuncto.

Ultimâ die Novembris, anni 1622. certò cognovi, Adamum Lucidem, qui prima ejusdem Mensis, peste obierat, è Purgatorio liberatum, ad cælum perrexisse, Solus eram, & jam me ad somnum parabam, circa undecimam fere horam noctis, aut duodecimam, cum subitò invasit me compassiva cogitatio, Adamum Lucidem egero auxilio, & me hac die pro illo nonnisi in Sacro orasse, nec quidquam fecisse, (quanquam dixeram ad Sepulchrum ejus Litanias pro defunctis, sed non memineram) pro anima illius : decrevi igitur omnino, ante somnum facere pro ipso disciplinam, (inter hæc autem subnascebatur spes remota quædam, & obscura, ejus hâc die liberandi) fecique unam, quâ factâ, orans aliquantulum, induxi in animum, facere & secundam, iterum orans feci & tertiam. Tum firma spes, & ferè quasi promissio, asseveratioque cujuspiam accessit, liberatum iri à pœnis, si quinque fecissem. Novus me præterea calor invasit pro ipso orandi, feci quartam, iterumque ferventius præter solitum pro ipso oravi.

Tum